Nunc igitur de minoribus terminis id est v tonis loquamur. Si ergo diatesseron duobus tonis ac semitonio, bis uero diatesseron v consistet tonis, cum ex ccLxii cxliiii diatesseron intendere, cumque de ccccLxxii cccxcii aliud diatesseron remittere, idem inter utraque intentione remissioneue numerus inuenitur. Id autem fit hoc modo. A numero qui est ccLxii cxliiii diatesseron intendo id est sesquitertiam, qui fit in cccxLviiii dxxv. Rursus de ccccLxxii cccxcii numeris remitto sesquitertia proportione, qui fit in cccLiiii ccxciiii. Has igitur proportiones disponamus hoc modo. Et sit primus quidem numerus A. Secundus uero B. Tertius C. Quartus D.



Quoniam igitur A terminus ad D terminum quinque remotus est tonis, quinque diatesseron in duobus tonis ac semitonio iungitur, ut Aristoxenus arbitratur, unumque diatesseron inter A atque B, aliud uero inter C atque D positum est, B et C terminos non oportet esse diuersos, sed unos atque eosdem, ut integre quinque toni ex duabus diatesseron consonantiis constare uiderentur. Nunc uero quoniam est differentia iiii dccLxviii, arguitur diatesseron minime tonis duobus ac semitonio coniungi. DIAPASON CONSONANTIAM VI TONIS COMMATE EXCEDI. ET QUISIT MINIMUM COMMATIS NUMERUS.

Sed hanc si quemin integris numeris differentiam collocare, quoniam in ea parte quae pars tertia pars si addatur, plenam efficit unitatem, quae pars tertia eiusdem dimidium est, si totius differentiae dimidium eidem adiecero, quod est ii cccLxxxiiii et triens, fit omnis summa vii cliii, quod dudum commatis proportionem tenebat. Comma enim est quo sex toni superant diapason consonantiam, quae in primis vii cliiii unitatibus continetur. Igitur ut differentiae dimidium proprium adiecimus, ut in vii cliiii excresceret, ita etiam cunctis A B C terminis medietates proprias adiungamus, et eadem erit in omnibus quae supra proportio. Fietque eadem inter quinque tonos ac bis diatessaron differentia, quae est inter sex tonos ac diapason consonantiam differentia, scilicet vii cliiii unitates. Unde colligitur quinque tonos bis diatesseron et sex tonos unum diapason tantum commate superare, quod in primis vii cliiii unitatibus inuenitur. Id autem patefaciet

Interlinear glosses: iiii dccLxvii; in; si dicat ubi non est integra unitas; ubi ... posuit cum superiore numero; bessis; iiii dccLxviii besse; iste medietas bessis; in hac ultima unitate redeunt illa duo in unum id est bes triens; Semis

Integros numeros dicit integritatem commatis in quo a sex tonis diapason superatur. Nam et ccLxii cxliiii et inter dxxxi ccccxli sex toni sunt. Sed ad primum numerum id est ccLxii cxliiii sunt duplus dxxiiii ccLxxxviii. Inter hunc uero duplum et dxxxi ccccxli in quo vi toni complentur est differentia id est comma vii cliii. Superius autem inter extensam diatessaron et remissam id est inter cccxLviiii dxxv et semis et cccLiiii ccxciiii fuerat differentia iiii dccLxviii et besse. Cui differentiae si suum dimidium addatur id est ii cccLxxxiiii commatis id in quo sex toni diapason superuadent integritas quae est vii cliiii redditur. Quoniam eorundem vii cliii besse id est differentiae iiii dccLxviii besse existunt.

differentia est quae inter diatessaron intensam et remissam

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 77 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/77)